UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Floriani Mililitis, quod spontaneus subijt, anno Christi Saluatoris 297. Dioclet. & Maximia. Impp. 14. ex eo quod est apud Surium optima fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42716

Visual Library

*MARTYRIVM S. FLORIANI MILI-
litu, quod ſpontaneus ſubijt, anno Christi Salua-
toris 297. Dioclet. & Maximia. Impp. 14. ex eo
quod eſt apud Surium optima fide.*

C. Baron, tō. 2. Annal.

4. Maij.

IN diebus Diocletiani & Maximiani, cum diuerſis agonibus aduerſus impia Imperatorum edicta Chriſtiani certarent, Aquilinus Præ-

Laureacum

ſes in caſtro Laureacenſium, non minus quadraginta egregia pietate viros comprehendit, ac multis ſupplicijs maceratos in carcerem miſit. Ad quorum confeſſionem beatus Florianus ardeſcens, Laureacum abijt, vt illorum ſupliciorũ pro CHRISTI nomine particeps fieret. Vt autem eò peruenit, fortè ex commilitonibus,

Egregia fortitudo S. Floriani.

quibuſcum anteà militauerat, audiuit Christianos ad idolorum ſacrificia perquiri. Tum inflammato animo: quem aliũ, inquit, quæritis? Eccè ego quoque Chriſtianus ſum: ite, nunciate Præſidi hic me adeſſe. Præſes Aquilinus his auditis eum ad ſe vocauit, & dijs ſacrificare iuſſit.

Cæditur fustibus.

Cumque ille conſtanter ac præcisè negaret ſe facturum, fuſtibus grauiter cæſus eſt; deinde cùm nihil de animi magnitudine remitteret, Præſes ſcapulas eius acutis clauis ferreis infringi iuſſit. Sed neque eo ſupplicio quidquam motus, Deum glorificabat: & iniquũ Præſidem ſuperatum eſſe declarabat.

Iactatur in fluuium

Tum Præſes ignominiam non ferens, lata in eum ſententia, in Aniſum fluuium de ponte præcipitari iuſſit. Adfuit protinus iuuenis quidam ſæuus & crudelis, qui ligato ad collum eius ingenti ſaxo, de ponte eum in fluuium præcipitem dedit, cuius oculi mox crepuerunt. Fluuius autem ſuſcipiens martyrem, eleuatis vndis corpus

eius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eius in quoddam eminentius ſaxum expoſuit; quod aquila nutu Dei eò aduolans, expanſis alis protegebat.

Apparuit aũt in viſione B. Florianus Valeriæ matronæ religione ac pietate eximiæ, indicauitque ei quo loco corpus eius humo contegeret. Illa viſione hac admonita, mox adfluuium abijt; corpuſque præ Gentilium metu virgultis inuolutum, ad locum ſepulturę deſtinatum perduxit. Cùm autem inter eundum, iumenta quæ ſacras reliquias vehebant, nimia laſſitudine oppreſſa oneri ſuccumberent, matrona tremens Dominũ rogauit, vt ipſe opem ferre dignaretur; ſtatimq; fons illic erupit, cuius aqua iumenta recreata, ſuſceptum iter cum ſacro pignore confecerunt. Eo autem in loco vbi martyr ſepultus iacet, præclara de cælo miracula exhibentur, multaq; beneficia iis, qui rebus in aduerſis inuicti athletæ auxilium implorant, diuinitùs præſtantur. Miraculum præclarum.

VITA S. MONICAE MATRIS S. AVguſtini, deſumpta ex libris Confeſſionum eiuſdem. Migrauit ad Dominum anno 389. ſecundũ faſtos Onuphrij, ætatis ſuæ 56. C. Baron. to. 4 Annal.

MISISTI manum tuam ex alto Domine Deus, & de profunda caligine erroris Manichæorum eruiſti animam meã, cùm pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, ampliùs quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine. Exaudiſti eam nec deſpexiſti lachrymas eius, cùm profluentes rigarent terram ſub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudiſti 4. Maij. Ex cõfeſſione Auguſtini lib. 3. cap. 11. & 12.